



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 1. An beneficia Ecclesiastica jure consanguinitis acquiri possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

generaliter, nimirum pro omni canonica beneficii provisione, ut exposuimus alibi, quæ contingit beneficii liberâ collatione, vel præsentati institutione, vel electi confirmatione; aut postulationis admissione, vel translatione legitimâ, vel etiam renuntiatione in favorem alterius, per Superiorem legitimum receptâ, ex quo sequitur beneficium *illegitimè*, seu non justè acquiri sine canonicâ institutione, *per reg. 1. de reg. jur. in 6.*

§. 1.

An beneficia Ecclesiastica jure consanguinitatis acquiri possint?

405 **B**eneficium Ecclesiasticum, vel bona Ecclesiastica, non acquiri legitimè, ac justè, jure consanguinitatis, ex testamento, vel ab intestato, prima pars est ex c. *ut nullus. 1. h. t. ibi: ut nullus de Clero, sive populo, Ecclesiastica bona, jure consanguinitatis sibi requirat habenda.* Altera pars est, quia beneficium sine canonicâ constitutione, seu provisione non potest obtineri *per. 1. reg. de reg. jur. in 6.* sed acquisitio beneficii ex successione jure sanguinis, ex testamento, vel ab intestato, non est ex canonica institutione, sicut nec acquisitio ejus ex præscriptione, intrusione &c. *per dicta in; cit. regula. 1. ergo.*

Dices: beneficia *patrimonialia*, cum vacant, acquiruntur jure consanguinitatis, ut dictum est à *num. 300. R.* beneficia patrimonialia non acquiri *mero jure consanguinitatis*; sed deperidenter ab institutione, seu provisione canonica, si enim sint propriè *collativa*, non obtinentur sine libera collatione, si *electiva*, sine electi, vel postulati confirmatione, vel admissione: si *patronata*, sine institutione præsentati.

406 **Q**uæstio ulterior est, an valeat pactum beneficiati cum altero, *de succedendo* in beneficio post mortem? 2. An vivente beneficiato, & jam in extremis constituto, institui possit tractatus de Successore? 3. an dari Coadjutor cum jure succedendi? 4. an saltem præsentari, vel nominari Successor, Antecessoris desperatâ vitâ? 5. an valeat institutio alicujus in beneficio sub conditione, ut alius succedat, si is, qui de præsentanti habet, moriatur, resignet, vel alio transferatur?

Ad 1. *R.* quòd non ex dicendis *tit. 7. Tom. III.*

Pactum enim de succedendo etiam jure civili reprobatur *L. ult. C. de pract.* ibi: *nobis omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plenè tristissimi, & periculosi eventus.* Quare enim quodam vivente & ignorante de rebus ejus quidam paciscentes conveniunt? *Secundùm veteres itaque regulas sancimus, omnimodo hujusmodi pacte, quæ contra bonos mores inita sunt, repelli, & nihil ex his pactiõibus observari.*

Ad 2. *R.* constat ex dictis si enim non excludat canonicam institutionem, non obest. Ad 3. constabit à *ex tit. 6. de Clericis egrot. ad 4. R.* quòd non, *ex dicend. in tit. 7. de concess. præbend.* nam talis præsentatio æquivaleret promissioni beneficii *non vacantis*, quæ nulla est.

Ad 5. *R.* quòd non, constat ex c. *Accipimus. 5. de pactis*, ubi Alexander Pontifex ad Archiepiscopum Eboracensem scribens, *accipimus*, inquit, *quòd quædam sint Ecclesie Clericis tali tenore concessæ, quòd, post eorum obitum, alii nominatim succedant; verum, quoniam hoc iniquum est, & Sacris Canonibus inimicum, & ideo non debet aliquatenus tolerari: mandamus, quatenus hujusmodi successiones, tam detestabiles, & iniquas, appellatione cessante, prohibeas, & omnino frivolas & inanes esse decernas.*

§. 2.

De jure, quod acquirat provivus in beneficio.

407 **Q**ualiter, & quando provivus in beneficio per viam electionis, vel postulationis, acquirat jus in beneficio, ad quod legitimè electus, aut postulatus est? diximus *lib. 1. tit. 5. de postulat. Prælat. & 6. de Electione*; quæstio superest, de acquirente illud per liberam collationem, seu quando provivus est in beneficio propriè collativo, de quo diximus *num. 243.* In ordine ad hoc quæstio. 1. est, an Collatarius in beneficio sibi collato, acquirat jus aliquod in eo ex præcisâ collatione, etiam ante acceptationem? 2. suppositâ collatione; 3. si non acceptavit intra terminum pro acceptando præscriptum? 4. si primum acceptet post lapsum termini?

R. istarum quæstionum resolutionem pendere ex c. *si tibi absent. 17. h. t. in 6.*

N 2

ubi